

EXPERIMENTVM IIX.

Ipsa cordis machina in frustula divisa et dissecta, affusa aqua calida, vel manu calidiori applicata, vel radiis solaribus objecta, se movere incipit.

EXPOSITIO.

Ex hoc equidem phaenomeno, cordis ad motum propensio et coaptatio optime elucescit. Nam satis ardua adhuc est quaestio, quae de principio motum cordis adeo validum, constantem et perpetuum producente, inter eruditos agitur, ubi certe mechanicam cordis structuram inferius fusius exponendam, nequam excludendam esse arbitramur. Est enim cor musculus, ex fibris artificiosissime et divino prorsus consilio, tanquam totidem vectibus, spiris, cochleis et embolis impellentibus constructis conflatus, quibus in motu et impulsu suo, quo juxta Borellum pondere trecentarum librarum est aequalis, omnino opus habere videtur, atque sine quibus influxus liquidi nervei esset frustraneus.

EXPERIMENTVM IX.

Porro si aperta vena cava, liquorem quendam syringa ad cor adigimus, illud in cadaveribus demortuis intumescere, et quasi pulsare motu suo versus latus sinistrum inclinatum observatur.

EXPO.